



**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

**Tit. 26. De testamentis & ultimis voluntatibus.**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

presso, dandi superflua pauperibus. Idem enim dicendum de iis, quæ beneficiatus sibi subtrahit ex debita sustentatione, parcus vivendo.

4. Bona Ecclesiæ dicuntur, quæ Ecclesiæ ejusdem Ministris consecrata vel destinata sunt, sive immobilia, sive mobilia, ut agri, domus, sive calices, & alia, quæ quoquoque titulo, sive donationis, sive emptionis, sive legati &c. ad Ecclesiam pervenerint. Inter quæ censendi sunt fructus pendentes, cum sint pars fundum. Et hæc sunt in domino Ecclesiæ: nec in iis quicquam juris, præter administrationem, sibi vindicare Clericus potest. cap. 2: sup. De donat. can. Episcopi, can. Manifesta, can. fin. xi. quæst. 1.

5. Bona intuitu Ecclesiæ acquisita sunt fructus & proventus beneficiorum, collecti & perceperiti aequaliter, quæ quavis Ecclesiæ vel beneficii occasione Clericis acquiruntur.

Et de his, quid juris in iis habeant Clerici, variat admodum Interpretes. Dua sunt celebriora sententia. Prima assentit, Clericos fructum ejusmodi tantum esse usum pios, id est posse eos sumere inde, quantum necessarium est ad commodum sui sustentationem; reliquum vero ex lege, non solum charitatis, sed & Iustitiae, erogandum in pios usus, & usus pauperum, iuxta illud D. Hieronymi, Tibiò Sacerdos vivere de altari, non luxuriari permittitur, refert Gratiano Diff. 44 in princ. Ideoque aperiens Diff. 42 in princ. Aliena capere con vincitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur. Adcò ut Clericus non plus suum ex fructibus beneficii suffacere possit, quam quod sufficiat ad vi etum velitum, ceterosque usus vita necessarios, can. Episcop. 23 xii. quæst. 1. Panormitanus ad c. Cùm infra. Detsam. Altera & probabilior sententia est, Clericos fructuum, & proventuum omnium, quos ex beneficiis suis percipiunt, sive sunt distributiones, sive fructus alii, esse absolute dominus; non solum quoad partem, congrue sustentationi necessariam, verum etiam quoad redundantem: ita ut, si profane expenderint, non teneantur ad restitutionem, licet graviter peccant, sic expendendo. D. Thomas 2, 2 quæst 185.

ut 7. Hanc sententiam tenet Sarmiento De rebus Ecclesiast. p. 2. cap. 1. & 2. & plures alii.

6. Quidad distributiones idem probatur ex.

unico De Clerico non resident. in 6. Concil. Trident. Session. 22. cap. 3. De reformat. Similiter quoad alios fructus probatur ex eodem Concil. Session. 23. c. De reformat. & aliis tum ejusdem Concil. locis, tum Juris Pontificii textibus, in quibus indicatur, Clericos facere tales fructus suos, vel certis casibus non facere suos. Ideoque non recte æquiparantur usurarii vel usufructuarii, aut non nisi certo respectu & secundum quid, ut loquantur nam plus juris in iis habent, quam usurarii, quia Clerici fructus omnes perceptione suos faciunt, d. cap. unico De Clerico non resident. in 6. etiam ultra necessitatem suam, erogandos in usus pauperum & alios pios usus. Et licet sunt domini fructuum, tamen minus juris habeant, quam usufructuarii, qui in vita & morte fructus suos cuicunque voluerint, relinquere possunt, absque ullo paupertatis aut pie-tatis intuitu: hanc enim potestatem non habent Clerici, ut constat ex Concil. Trident. Sess. 25. c. 1. De reform. Vide Sarmiento d. loco.

## TITULUS XXVI.

### De Testamentis & ultimis voluntatibus.

#### S. I.

Quid sit Testamentum, & quotuplex est jusque solemnitas.

1. Testamentum unde dictum, & definitio.
2. Testamentum aliud scriptum aliud Nuncupativum.
3. Vitrumque vel Paganicum vel militare.
4. Testamenta bodierna esse nuncupativa.
5. Forma testandi iure Pontificio prescripta.
6. Per hoc non videri derogatum iure civili.
7. Cur proprius Parochus requiratur.
8. Favor testamenti etiam non solemnis ad piatum causam.
9. An testamentum eiusmodi sit validum in foro conscientia.
10. Favor testamenti inter liberos.

A Bsoluto tractatu de peculio Clericorum, id est de bonis, quæ Clericis ex propria industria

industria vel amicorum liberalitate aut successione obvenient, deque modis, quibus inter vi-  
vos de iis bonis disponere licet, sequitur ut vi-  
deamus, qua ratione de iisdem testamento vel  
alia ultima voluntate disponere valeant.

1. Testamentum (ex eo appellatum, quod  
sit testatio mentis, quia declarat, quæ sit mens  
& ultima voluntas hominis, *testatur hoc sit. in  
princ.*) est voluntatis nostra justa sententia, de  
eo; quod quis post mortem suam fieri velit, *I. 2.  
D. Qui testam fac. poss.* Justa sententia, id est,  
solemnis & legitima, vel secundum legem præ-  
scriptam de testamento ordinata. Atque per  
hanc partem excluduntur ceteræ ultimæ vol-  
luntates, ut legata, codicilli, fideicomissa, do-  
natio causa mortis, C. quæ & ipsa interultimas  
voluntates refertur, quia morre confirmatur, *I.*  
*Non videtur D. De mortis causa donatione ad instar legati d. ult. in fine Cod. hoc sit.* licet alijas sit  
contractas) quia non sunt sententiae justæ, id  
est solemnes, nec regulis de testamentorum or-  
dinacione conformes.

2. Rejectis autem testamentorum generibus  
quæ apud veteres in usu fuerunt, ut quod ca-  
latis comitiis dicebatur, quod in proiectu,  
quod per æs & libram siebat, tanquam antiqua-  
tis, & quæ in desuetudinem abierunt, dividi  
solet testamentum in Scriptum, & Nuncupati-  
vum. Scripti testamenti solemnitas de jure  
Civili consistit in eo, quod fiat uno tempore &  
contextu; ita ut nullus actus extraneus & alien-  
us à testamento intermisceatur, *I. Haredes 1.  
in fine D. Qui testam fac. poss. I. Antiquitas Cod.  
hoc sit.* quod item fiat coram septem testibus,  
ad hoc vocatis & rogatis, *d. I. Haredes 5. in testa-  
mento;* qui nomina sua subscrivant, & signent  
testamentum annulo, vel proprio vel alieno,  
aut alio signaculo, *5. Sed cum paulatim Inst. hoc  
sit.* Ac denique in hæredis institutione directa,  
hoc est ut nominetur aliquis, qui in universum  
Jus defuncti sit succellurus, *I. Haredes 59. D. de  
R. 1.*

3. Nuncupativum dicitur, quo testator, non  
interveniente scriptura, coram septem testibus,  
ad hoc convocatis, nuncupat & exprimit pa-  
lam nomen hæredis & legatorum dationem, *I.  
Hac consilissima 21. 5. per nuncupationem, & I.  
Iubemus 29. 5. Quod si, & 5. Oportet Cod. h. t.  
& I. Haredes 5. penult. D. cod. sit.* Atque ita di-

stinguitur à testamento scripto, quod ad sub-  
stantiam hujus non requiratur scriptura, nec  
testium subscriptio aut subsignatio, sive ex  
mero jure Civili. Et propere Prætor olim  
ex eo non decernebat bonorum possessionem,  
*I. Sicut scriptum D. De bonorum posses secundum  
tab.*

Utrumque testamento, scriptum, inquam  
& nuncupativum vel Paganicum est, vel Mi-  
litare. Paganicum est ejus, qui non est miles;  
& hoc regulariter requirit septem testes, cosque  
rogatos, *d. 2. II. Hac consilissima & iubemus  
ibidemque D.D. Militare est militis: & hoc ha-  
militi facit in expeditione bellica nullam requi-  
rit solemnitatem ordinationis, Jure Civili  
quisitam, sed ad ejus validitatem sufficit, quod  
constet quoque modo de militis voluntate, si  
ve scripta, sive noscripta, *I. Ex testamme-  
nto 5. I. Milites 15. Cod. De testam. milit. Inst. eod. sit.  
in princ.* quia arma magis, quam leges sive  
præsumuntur milites, nec sinunt occupaciones  
bellicæ Jurisperitos adhibentes, aut quid leges ju-  
beant inquirere. Quod quia facere possunt mu-  
licres & rustici, etiam si imperiti sint Jutis, non  
gaudent simili privilegio. Ut neque militi com-  
petit, si testetur post missionem, aut extra ca-  
stra licet milititer adhuc, verum tunc solemnem  
jure testari eum oportet, *I. penult. Cod. de testam.  
milit. 5. 4. Inst. eod. sit.**

4. Hodie vero passim receptum est monibus,  
ut testamentum fiat coram Notario, & duobus  
pluribus testibus. Quod testamenti genus esse  
nuncupativum virtus est, quia testator volun-  
tatem suam nuncupat & declarat coram tribu-  
bus; Notarius vero voluntatem nuncuparam  
excipit scripto; non ad substantiam testamenti,  
sed ad rei gestæ comprobacionem, nempe testa-  
mentum nuncupativum factum fuisse.

5. Similiter Jure Pontificio valer testamen-  
tum, factum coram Parocho & duobus tribu-  
bus testibus, potissimum si fiat ad piam causam,  
veluti si pauperes instituantur hæredes, vel Ec-  
clesia aut Monasterium aliquod, *d. 2. Ratum il-  
hoc sit.* Quo casu ad validitatem testamenti,  
etiam in foro externo, non requiri illas sole-  
nitates, Jure civili introductas, sed sufficiet  
ea, quæ juris sunt gentium, ut scilicet duo adhuc  
testes, nec aliam qualitatem in testibus exigat,  
quam quæ ex ipso jure gentium insit, docet Co-

var. de testamentis. II. n. 9. Jul. Clarus §. Testamentum qu. d. n. 1. & facit text. in e. Relatum 1. h. tit. Quinim d. ne quidem requiri duos testes, ad hoc ut testamentum sit validum, dummodo sit potestas in disponente, capacitas in eo, in cuius favorem disponitur, & libertas in dispositione, docet Lessius 2. De Iust. & Iure c. 19. dub. 2. a. 7. Ira ut testes ad probationem dumtaxat sunt necessarii; Idque obtinet etiam, ubi testamentum non sit principaliter ad piam causam, veluti ubi laicus instituitur heres, ut in e. Cum eff. 10. h. t. quia, inquit, Pont. scriptum est, quod in ore duorum vel trium testium sit omne verbum.

6. Namquam hoc casu quo, inquam, non sit ad piam causam testamentum, polita coartaria consuetudine & usu, verius videatur, utrumque ius in suo foro servandum esse: Civile quidem in foro civili, & terris Imperii; Pontificium vero in foro Ecclesiastico, & dictibus Rori. Ecclesiae, etiam quoad temporalia jurisdictionem, subjectis, Jul. Clarus, §. Testamentum qu. 57. Nam decisio & responsio in d. e. Cum eff. directa est ad Episcopum Holsensem qui in temporalibus subjectus est Romano Pontifici.

Nec obstat illud Deuteron. 17. & 19. Ioan. 8. & 1. ad Corinth. 13. quod in ore duorum vel trium testium sit omne verbum, cuius meminit Pontif. in d. e. Cum eff. & d. e. Relatum: nam hoc ita accipi debet, quod non possit aliquis condemnari, nisi testes ad minimum duo vel tres contra eum testimonium dicant, non autem, quasi nullus aetus celebrari queat, adhibitis pluribus, quam tribus vel duobus testibus, & quasi hoc sit contra legem divinam. Etenim Pontifex ipse, in d. e. Cum eff., prater duos testes vult adhiberi presbyterum parochiale, Praterem non damnat consuetudinem Hostiensis Episcopatus, requirentem ad testamentum septem testes, quasi divino iuri contraria, sed quia ea contra generale Ecclesiae ius receptum non legitimè inducta esset.

7. Loquitur vero Pont. in d. e. Cum eff. de proprio Parochio, quia non est tanta præsumptio falsitatis in eo, atque in extraneo. Quod itamea loco presbyteri interveniant duo alii testes, valebit testamentum, quia duo idonei testes supplantent vicem Parochi, majorisque sunt

auctoritatis, quam solus Parochus, arg. c. Licet ex quadam 47 sup. de testibus, Abbas, in d. e. Cum eff. n. 7. Atamen alterius Confessarii, etiam a Parochio specialiter deputati, non sufficeret præsentia, secundum Choppin De sacra Polit. lib. 2. tit. 1. n. 14. Et edictum Principum nostrorum anno 1611. art. 12. requirit Notarium, Pastorem aut ejus vicarium, certaque formam præscribit testamentum ordinandis, de qua vide Zypxum de jure Pont. novo hoc tit. num. 13. & 20.

8. Similiter licet ultima voluntas pendere ex alieno arbitrio non debeat, impropterque ius civile dispositionem testamentariam in alterius arbitrium relatum, t. Illa institutio D. de hered. instituenda: de aequitate tamen Canonica, favore pia caussa, is; qui extremam suam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus, c. Cum tibi 13. hoc tit. Bart. in l. 1. Cod. de sacrosanct. Eccl. Marc. Ant. Genuei, in praxi cap. 2. n. 13. per l. Theopompos D. de doce prælegata, l. Quem heredi D. de rebus dubiis. Namquam alii malint, d. e. Cum tibi intelligi de ipsa executione ultima voluntatis, non de dispositione. An autem testamentum ad interrogationem alterius factum, etiam ab insistro, in extremis constituto, valeat, disputat Alexand. Consil. 33. incip. Ponderatio.

9. Illud quoque hic controvexitur, an testamentum factum ad caussam non piam sit validum in foro conscientie, si defint solemnitates, Jure positivo requisita? Negat Covaruvias e. 10. n. 12. affirmat Lessius 2. De Iure & Iustitia. c. 19 per l. Et si in inst. Cod. de fideicom & ult. inst. de fideicom heredit. Ex ratione, quod ex tali testamento, iuxta communem lentitiam, oriatur obligatio naturalis, & solemnitas Jurantium requiritur in testamentis, ut fidem faciat in foro externo, & falsitas omnis deceptioque evitetur: l. Questionem 2. Cod. de fideicommissis.

Nec obstat, inquit, l. Hae consuliissima Cod. de testam. nec §. Ex eo inst. Quib. modis testam. inservientur. ubi tale testamentum dicitur esse nullum: quia illi textus loquuntur de nullitate in foro externo, in quo justis de causis ex tali testamento, perinde ac si nullum esset non datur actio. Et si autem lex civilis tali testamento quoq; adiurat, non tamen ei resistit;

SS ideoque

ideoque oritur saltem obligatio naturalis, si-  
cuit ex nudo pacto. Sic fideicommissum, si ex  
testamento nullo agoscatur, solvi debere, non  
ut ex testamento, sed quasi a'ia relinquentis vo-  
luntae, judicatum refert Charondas lib. 3. Re-  
pons 47.

10. Denique ut in testamento ad pias cau-  
fas non requiruntur solemnitates Juris civilis,  
ita nec in testamento inter liberos utriusque  
sexus, d. l. *Hac consilissima §. ex imperfecto*: sed  
tantum attenditur dispositio Juris gentium. I-  
deoque sicut in testamento ad pias cauñas duo  
sufficiunt testes, etiam non rogati, ita & in  
testamento inter liberos.

## §. II.

## De Institutione hæredis.

1. *Institutione hæredi est caput testamenti.*
2. *Codicillis instituti hæres directio non potest.*
3. *Liberi, in potestate existentes, necessario insti-  
tueri vel ex hæredandi.*
4. *Instituendi liberis in legítima portions, absque  
onore.*

1. **T**estamenti basis & fundamentum est  
hæredis institutio, sine qua inutile est  
testamentum, *Institut. De fideicom. hære-  
dit. §. 2.* Quod & in hac causa, sicut & in nume-  
ro testium, distinguitur à Codicillis, in quibus  
sufficiunt quinque testes\* 2. nec continent hæ-  
redis institutionem, saltem directam. Quod ad-  
do, quia per fideicommissum hæreditas codicil-  
lis jure relinquitur, *Inst. de codicillus in fine, l. 2.*  
*¶ Si diu C. eod t. sicut & legata, fideicommis-  
sa, & alia similia, Inst. de sing. rebus per fideicom.  
relikt. Unde si quis hæredem in codicillis insti-  
tuat, ea institutio reflectitur in fideicommissum cę-  
sereturque hæres successurus ab intestato, rogatus  
restituere hæreditatem in instituto in codicillis.*

3. Tametsi verò quis, quem velit, hæredem  
instituere possit, cum nihil sit, quod magis ho-  
minibus debeatur, quam ut supremæ volun-  
taris liber sit stylus, l. 1. *Cod. de sauro. Eccles.* Si  
ramen testator liberos habeat in potestate,  
qui etiam vivo parte terum paternarum quo-  
dammodo domini existimantur, §. *Sui 2. Inst.*  
*de hæred. qualis* eos aut nominatim in-  
stituat necesse est, aut ex hæredet nominatim &  
*ex certa causa ex hæredationis*, per scriptum

hæredem probanda, *Novel 115. cap. 3.* Alioquin  
ex causa præteritionis testamentum est ipso  
jure nullum; quoad institutionem felice,  
nam legara & fideicommissa firma maneat, d.  
*Novel. 115. c. 3. in fine, ¶ Autib. Ex causa Ctd.*  
*de liberis præterit. nimis ut in eo pusulator*  
*testator, in quo peccavit. Siveverò liberos præ-  
terit emancipatos, testamentum quidem sub-  
sistit ipso jure, sed Prætor vel Judge dabit pri-  
teritis bonorum possessionem contra tabulas*  
*testamenti, §. Emancipatos. 3. Instit. de ex hæredat.*  
*liberorum.*

Non ignoro, existimasse quosdam, iure Pon-  
tifício non requiri necessariò, ut parens filium,  
quem in potestate habet, hæredem instituat et  
nominatim ex hæredet, sed valere eo jure testa-  
mentum, in quo filius supponitur potestari pa-  
triæ, fuerit præteritus, dummodo legitimam  
suum habeat portionem, reliquitam titulo velle-  
gati, vel donationis, vel alio quolibet; ed quod  
in cap. *Raynatus hoc tit.* non dicatur, filias tuisse  
institutas, sed tantum illis reliqtas legitimas  
suis portiones. Sed vetius est etiam iure Pon-  
tifício filios esse hæres instituendos, & legitimam  
titulo institutionis relinquendam, cumid  
nusquam illo jure decisum reperitur, & propterea  
dispositioni juris civilis stari debeat, *art.*  
*cap. 1. inf. De novis op. nuntiat,*

4. *Institui proinde debent liberi etiam hoc  
jure, ut minimum in legitima sua portione:  
qua olim fuit quarta pars *Inst. De inoff. tes-  
tamen. §. sed hoc ista*: hodie verò, si liberi sint  
quatuor aut pauciores, est triens, id est teria  
pars, sint plures, quam quatuor, est semis, id est  
dimidia pars ejus, quod habituiri est ab intel-  
lato. *Novel. 1.* Quod si minus quam legitima vel  
quantumque pars eis fuerit reliqua, tunc a-  
ger poterit, non quidem querela in officiis  
testamenti, ut olim, *l. Papinianus 8. §. quoniam  
D. de inoff. testamen.* sed ex Constitutione Ju-  
stiniani conditione ex lege, ad supplementum,  
*l. Omnimodo 30. l. Scimus 30. Cod. d. t. quia non fi-  
nitur quinquennio, ut querela in officiis, sed  
durat trigesita annis, ut omnes actiones per-  
sonales, d. l. Scimus.**

Hæc verò legitima portio nullo onere, vel-  
ti usufructu, fideicommisso, conditione, mo-  
do, aliave re gravari potest. Quod si securus fiat,  
onus pro non adjecto habetur, *l. Quoniam in*

*in prioribus 32. Cod eod cap Raynusius 17. in utbisdam in legirima non posuit aggravare hoc tit. Diciturque ibidem legitimajure natura debita: & natura debitum in c Raynaldus 18. h t.*

## §. III.

De dupli detractione legitimæ & Trebellianicæ.

1. Detractio hac Iure Canonico fieri potest.
2. Probatur etiam Iure Civili illi locum esse.
3. Gravatus legitatis detrahit quartam ex Lege Falcidia.
4. Episcopus ex legatus Ecclesia detrahit portionem Canonicam.

1. **Q**uia ratione si filius, à parte institutus hæres iussus sit hæreditatem alteri restituere, non solum legitimam suam portionem ab hoc onere fideicommissi servabit liberam, sed præterea Jure Pontificio quartam detrahet Trebellianicam, id est quartam partem totius hæreditatis, quam iussus fuerit restituere; & utramque portionem, cui voluerit, relinquare poterit, vel ab intestato ad legitimos suos hæredes transmittere, quia reliquum dumtaxat fideicommisso continetur, c Raynusius, &c. Raynaldus h. t. Habetque locum duplex hæc detracatio etiam in testamentis liberorum, respetu parentium, iis scilicet casibus, quibus permisum est liberis condere testamentum, arg. d. c Raynusius & c. Raynaldus, juncta l. Nam et si patribus 15. in princ. D. De inoff. testamento.

2. Verum, an utraque hæc deductio seu detracatio etiam Jure Civili obtineat, admodum controvertitur. Non obrinere, probari videtur ex Inratione i. §. quod vulgo D. Ad L. Falcidiā, ubi unica quarta detrahitur, & L. tubermus Cod. Ad S. C. Trebell. ubi jubentur liberi, qui rogati sunt restituere hæreditatem, do- drantem, id est novem uncias totius hæreditatis restituere. Igitur servare sibi poterunt dumtaxat unicam quartam, id est tres uncias reliquas.

3. Attamen verius videtur, filium fideicommisso gravatum etiam Jure Civili posse detrahere utramque quartam, sive sub conditione vel in diem rogatus si restituere, ut vult communis Interpp. sententia, sive purè, id

est, sive diversis temporibus quarta legitima & Trebellianica deducatur: legitima quidem, simul atque si filius paternæ hæreditatis im- miscerent: Trebellianica vero tunc demum, cum exstiterit conditio restituenda hæredi- tatis: sive uno & eodem tempore deducenda sit utraque quarta, ut si filius purè rogatus sit restituere alteri hæreditatem paternam. Ete- nū tamquam regulate traditus à DD. ad l. Qui non militabat 78. D. De hæred. insti- tuen. quodd, quando auxilia plura per leges promit- tuntur ex diversis causis, competant singula, nec unum per aliud excludatur, nisi per alias leges statuatur alind. Ideoque, cum filios ha- beat legitimam ex una causa, nempe pro debiti- to naturæ, ad excludendam querelam inofficio- si testamenti, & in iuxta Trebellianicam ex alia causa, scilicet pro præmio aditionis, ad ha- reditatem restituendam, poterit utramque deducere: sicut filius, cui aliquid prælegatum est, si ita gravetur legatis, ut legi Falcidiæ locus sit, præ- legatum suum recipet, & nihilominus de ca- roris legatis quartam Falcidiæ detrahet, prælegato in Falcidiā non computato, d. l. Qui non mil- tabat, juncta l. Ex facto proponebatur 35. D. De hæred. insti. l. In quartam 91. D. Ad L. Falcid. quia hæc duo ex diversis causis competit: præle- gatum ex voluntate testatoris: Falcidia benefi- ciō legis.

Et hoc quoque videtur indicare Justinianus Imp. qui cum in l. Si pater & in l. Quo- ziam in prioribus Cod. De inoff. testam. voluisse onere fideicommissi universalis gravatum, liberari ab eo onere, quoad legitimam, sic tan- men, ut legitima querelam inofficiosa exclu- dat: nihilominus postea in l. Iubemus Cod. Ad S. C. Trebell. eidem filio concedit quartam Trebellianicam, pro præmio aditionis. Ideoque sicut rogatus hæres, idemque credi- tor, alicui alteri hæreditatem restituere, non alia bona censeret rogatus restituere, quam quæ, deducto per hæredem debito proprio, superflunt (juri liquidem est notissimi, cu- jusque ea demum censerit bona, quæ deducto ære alieno superfluit:) ita filius iussus restitu- re hæreditatem, non alia restituet bona, quam quæ, deducta legitima, tanquam sibi naturaliter debita, superfluit: cum ea fideicommisso gravata non possit: & deducet

Ss 2

Trebel-

Trebellianicam ex iis, quæ justus fuerit restituere. Plura de hac quæstione vide apud Fachin.  
5. *Controversi. cap. 2.*

4. Quemadmodum autem gravatus fiduciæ commissio detrahit quartam Trebellianicam, ita gravatus legatis ultra dodrantem, id est novem uncias (omnis enim hæreditatis cuiuscumque quantitatibus in duodecimi uncias à Jure distribuitur, totaque hæreditas venit. Assis nomine,) detrahit quattam Falcidiæ, beneficio Legis Falcidiæ, toto Tit. D. & Cod. & Institut. *Ad Leg. Falcidiam.* Exceptis legatis piis, & non nullis alijs, quæ deductionem illam non admittunt: de quibus latè DD. ad l. *Intestamento cum Autb. seq. Cod. Ad L. Falcid.*

5. Denique observandum hic est, Episcopum delegatis Ecclesiæ, in sua diœcesi sitæ detrahere portionem Canonicam (quæ respectu consuetudinis cuiusque loci varia est, *Glos. in Requisiti 15. in Quartam hoc sit*) prout prescribitur in c. *Officii 14. hoc sit, d. e. Requisiti:* nisi citra faudem legata fuerint Ecclesiæ pro ornamentis, fabrica, cereis, luminaribus, vel alijs sumilibus piis causis, ut pro alendis pauperibus, maritandis, aut in monasterio collocandis pueris pauperibus, &c. ult. hoc sit. ubi fuisis D. D. sicut & in d. e. *Officii Vide & Piafec. 2. p. Praxis Episcopalis cap. 5. art. 4. num. 40. & seqq. & quæ infra dicentur ad Tit. De sepulturis. §. 6.*

#### §. IV.

#### De Substitutionibus.

1. *Substitution alia Directa, alia Incerta, seu Obliqua.*
2. 3. *Directa alia est Vulgaris, alia Pupillaris, ea que Tacita vel Expressa*
4. 5. 6. *Alia item Exemplaris, Reciproca, Compendiosa.*

**P**otest verò testator plures gradus hæredum & institutionum facere, sed qualibet post primam vocatur Substitution; quæ nihil aliud est, quam hæredis secundo gradu vel deinceps, in locum prioris, institutio.

1. Estque Directa vel Indirecta seu Obliqua. Directa est quæ fit verbis directis seu qua hæreditas substituto defertur directe & immediate à testatore, absque alicuius ministerio

qui illam alteri restituat, ut si testator dicat: *Titus hæres esto, si Titus hæres non erit, Caius hæres esto.*

1. Indirecta est, quæ verbis fit indirectis, obliquis vel precariis, seu qua hæreditas substituto defertur, per alterum, qui illi eam restituat; unde & *Obliqua & Fideicommissaria appellatur*, ut si testator institutum a se hæredem roget, vel fidei ejus committiat, ut hæreditatem alteri restituat.

2. Directa vulgo dividitur in Vulgarem, Pupillarem, Exemplarem, Reciprocam & Compendiosam. Quibus addi potest Militaris. Vulgaris est, quæ concipitur in casum, quo institutus hæres non erit, sive quia noluerit, sive quia non potuerit: atque in unum casum accepta etiam alium comprehendit. Dicitur Vulgaris, quia a qualibet testatore fieri potest cuilibet; & per eam substitutus fit testator hæres.

3. Pupillaris est, quæ fit impuberi, in potestate testatoris existenti, nec per mortem ipsius in potestatem alterius recessuro, institutio in casum, quo hæres erit, & ante puberitatem defecserit: & per hanc substitutionem non testator, sed in puberte fit hæres. Vtique hæc substitutione est vel Expressa vel Tacita. Expressa est, quando testator exprimit conditionem, quæ omni substitutione vulgaris vel pupillarii inest: videlicet, Si institutus hæres non erit, aut Si filius meus intra puberitatem morietur. Tacita est, quando conditionem illam non exprimit, sed subintelligitur ex presumptione legis, presumptualem elevoluntatem testatoris. Vulgaris utraque expressa adita hæreditate; pupillaris vero non per traditionem hæreditatis, sed demum cum pubes sit, cui pupillariter facta est substitutionis. Contingat autem se mutuò vulgaris & pupillaris, quando casus utriusque in eandem personam concurrens potest: ut in impubere, si ei vulgariter substituatur, continetur tacita pupillaris.

4. Exemplaris est, quæ fit liberis furiosis a mente capitis; in casum, quo adhuc furiosi aut mente capiti dececerint. Dicitur exemplaris, quia ad exemplum pupillaris, intuitu humanitatis, introducta est, I. Humanitatis Cod. De impub. &c. alii subst. Vnde quasi pupillarem quidem vocant. Et hoc modo etiam mater & avus materialius substituere possunt.

licet non pupillarirer, quia exemplaris substitutio non dependet à patina potestate, uti pupillans.

5. Reciproca, quæ & Breviloqua dicitur, est, quando plures hæredes instituti sibi invicem substituuntur, ut si testator dicat: *Cajum & Semiharedes meos institua, & eosdem in vicem substitua.* Dicta proinde Reciproca, quasi reflexa in se, & Breviloqua quod brevibus verbis fiat.

6. Compendiosa est qua plures quoad diversa tempora continet substitutiones, ut si dicat testator: *Instituo filium meum hæredem, & quandocumque deciderit, substituo ei Cajum.* Unde distinguitur à Reciproca, quod illa continet plures substitutions quoad personas, pluresque similes substitutionum species continere possit; Compendiosa vero plures quoad tempora, respectu unius personæ & necessarij distinctiones, prout latius de his, & aliis discrimini bus, vide licet *Glof. & DD. add. cap. Raynus.* nubec sit.

## §. V.

## Qui testamentum facere possint.

1. Prohibentur subjecti potestati alterius, filius fam, servi, Religiosi.
2. Quidam ob defectum animi vel corporis.
3. Quidam ob crimen.
4. Clericus de bonis patrimonialibus testari potest.
5. Item de iis bonis, que industria sua acquisivit.
6. Quaque vivendo parcitur congrua sustentationi ultrastraxit.
7. De bono intuitu Ecclesia quasvis testari nequit.
8. Quarenus & quibus donare ex iis bonis possit.
9. Hoc de consuetudine Clericis passim permissa facultas restans.

1. Videamus nunc, qui testamentum facere, & testes in testamento esse possint. Testati possunt omnes, qui non prohibentur, l. 4. D. Qui testam facit possunt. Prohibentur autem quidam, vel quia potestati alterius subjecti sunt ut filii familias, extra castrense & quasi castrum peculium, etiam consentiente patre,

D. eod. quia vult Lex xii. Tabb. ut qui testatur sit pater familias, & de re sua testetur. Et testamentorum jura per se firma esse oportet, non ex alieno pendere arbitrio, l. Illa inst. 32. D. De hæred. instituer. Ideoque non obstat, quod filius fam. consentiente patre donare possit causa mortis, quia, cum donatio talis magis lapiat naturam cuiusdam contractus, ac alterius pendere arbitrio potest.

Similiter Religiosi profecti, Autb Ingressi Cod. De sacro Eccles. can. Quia ingredientibus, & seqq. xix. qu. 3. nisi ex concessione summi Pont. Unde Covar. de testam ade. 2. b. t. n. 17. & 18. Ibid. Boet. Epouem. n. 22. Navat. in Commentario 2. de Regularibus n. 58.

2. Servi item, l. 16. 19. & 20. § 7. D. Qui testam facit possit. Quin etiam de statu suo dubitantes vel errantes, l. 14. 15. D. eod. Capti ab hostibus, &c. Quib. non est permisum fac. testam.

Vel prohibentur propter defectum aliquem, eumque vel animi, ut impuberis, mente capti, furiosi, prodigi, quibus est interdicta bonorum administratio; vel corporis, ut surdi & muti à nativitate: item cœci, nisi certa aliqua observatione, quam prescripta Justin. Imp. in l. Has consolissima Cod. hoc iii.

3. V. denique prohibentur propter crimen, ut si quis commiserit crimen aliquod, cui a Jure annexa sit poena, qua ipso facto, sit intellectibilis, l. Is cui i. 18. & l. Cum lega 26. D. eod.

4. Præcipua hic difficultas est de Clericis beneficiatis. Et dubium non est, quia de bonis patrimonialibus & quasi patrimonialibus testamentum facere possunt, c. 1. c. 4. c. Quia nos 9. c. Relatum 12. hoc tit. quemadmodum & donare ea possunt inter vivos pro arbitrato suo, vel reservare consanguinitatis, & vivere ex bonis Ecclesiæ, quantumvis divites sint, cum nemo tenetur propriis militare stipendiis, c. Cum secundum 14. sup de præbendis, Piaciecius 2 p. c. 5. art. 4. n. 45. ne quidem Episcopus; qui tamen mensa victuque frugali, & suppellectili modesta uti debet, Concil. Trident. Sess. 25. c. 1. de reformat. servata ratione qualitatis, personæ, nobilitatis, gradus, & consuetudine loci: quandoque enim quod uni sufficere honeste potest, non sufficeret alteri, can. Clericum, juncta Glof. in V necessitatem xxi. qu. 2. Navat. de redit. Eccles. qu. 1. n. 92.

5. Pari modo testari Clericus potest de iis bo-

§ 3

313

vis, quæ proprio labore personalique opera sibi comparaverit, etiam pereosactus, ad quos ipsum beneficium obligabat: ut si Curatus extra proventus sui beneficii aliquid lucretur, ecce brando Missas, concessionando, audiendo Confessiones, interviendo Capellaniæ, Vicarius officio fungendo, administrando Sacra menta, quia taliter quæsita æquiparant patrimonialibus, de quibus liberè disponere Clericum posse, perinde ac laicum de suis, dictum est ante ad d.

*Tit. De peculio Clericis per can. Episcopi xii q. 1. can. Fixum ibid. q. 5. e. Quianos 9. hoc tit.*

6. Idem dicendum de iis, quæ parcius vivendo ex proventibus sui beneficii congruae sustentationi substraxerit. *Navar. d. q. 1. n. 59.* & *dixi supra ad d. Tit. De peculio Clericis.* Quantum autem requiratur ad honestam sustentationem cujusque, cum non possit illud certa regulâ determinari, relinquitur arbitrio conscientiarum timoratæ. *Pialec. d. loco n. 52.* post *Navar. d. loco q. 2. n. 20.* Regulariter in beneficio modici valoris, ut ducatorum xxx. ultra vi et om nihil præsumitur superesse, & idem bona, quæ superfluit, censentur acquisita proprio labore, ut proinde de illis testari liceat.

7. Sed quæritur de bonis, quæ Clerici intui tu Ecclesiæ, cui serviant, acquisierint, veluti de fructibus beneficiorum suorum, qui congruae sustentationi superstant. Et dicendum, quod licet eorum sint domini, & unico De Clericis non residenti in e. *Conc. Trid. Sess. 22. cap. 3.* & *Sess. 24. cap. 12. Dereformat.* tamen Jure Pontificio ne quidem ad piam caussam testari possint, c. 1 & 2. *Cum in officiis 7. Quianos 9. c. Relatum 12. h. 1. can. Episcopi x. 1. q. 1.* Adeò ut ne Pontifex quidem de redditibus sui Pontificatus testari consueverit, *Pialec. d. loco n. 40.* post *Navar. d. q. 1. n. 27.* & 73. Ratio est, quia Jus Pontificium voluit bona ejusmodi non alia lege cedere Clericis, quam ut inde sibi necessaria percipient, & post mortem beneficiati redirent ad Ecclesiam, d. 1 in fine, & d. c. *Cum in officiis in fine.* Idq; ut averteretur Ecclesiasticos ab accumulationis opibus, incitarerq; ad eas res invita liberaliter in pios usus expendendas. Et idem Clericis donationem talium bonorum inter vivos ad pios usus permisit, *can. Quod auem xx. q. 7.* noui autem testamenti factio nem vel quasi, id est, donationem causâ mortis. Nisi faculta

tem de iis testandi à Summo Pont. obtineret, qui eam concedere pot. It; & de facto sepe concedit. *Pialec. d. loco in fine, ex Navar. & Staphil. 10.* quos citat. Neq; locum habet hic regula: *Quod licitum est inter vivos, licet etiam in ultima voluntate, arg. taxi. Inst. De lege Can. sublenda:* quia dominum fructuum beneficii post Clerici mortem ipso jure redit ad Ecclesiarii, cui servivit, d. c. *Cum in officiis in fine.*

8. Possunt tamen Clerici, in ægritudine constituti, ex fructibus beneficiorum suorum non testamentaria dispositione, sed per modum eleemosynæ donare & erogare aliquid etiam amicis vel familiaribus suis, ratione obsequiū suū beneficij, sibi vel Ecclesiæ præstis; moderate tamen. *Ad hac 8. d. c. Relatum 12. h. 1. Gurrebi que Bocc. Epo. imo & intuitu sanguinis consanguineis, si egeant, ad decentem eorum sustentationem, can. Non satis. can. Est probanda Dismiss. 86.* consideratā qualitate, quam tales acquirent per promotionem ejus, qui donat, ad aliud beneficium vel dignitatem. Clerici enim Clerici promotione etiam consanguineorum dignitas; & in tali gradu non sufficeret eis ad decentem sustentationem, quod ante sufficie poterat, *Pialec. d. loco n. 47.* Attamen dazi ratione non debet, quo augeantur & dilecantur, *Conc. Trid. Sess. 25. c. 1. Dereformat.* Unde D. Ambrosius *Officior. can. 3.* Melius est, inquit, ut ipse tuus subvenias, quibus pudor est ab aliis sumsum depositare, non tamen us illi diutio fieri vult ex eo, quod tu conferre potes in opibus.

9. At verò hodie generali ferè consuetudine ceptum videmus, ut Clerici de fructibus beaci ciorum suorum validè testentur, etiam ad profanos usus, ubicumque talis consuetudo legitime præscripta est, dummodo finis illius non transgrediatur, & congruentem portionem erogeant in pauperes & pios usus. Ratio hujus, quis prohibito, ne Clerici de talibus bonis testetur, non est juris divini, naturalis, aut gentili, sed ius merè positivi, ut prædicto contrario jure possumo, nempe contraria consuetudine, tolli possit.

Nee potest dici, talem consuetudinem testandi, in profanos utique usus, tacitè improbari in d. c. *Relatum:* qui eadem alibi saltem ex parte videtur probari in e. *Suscepti De elect. in b.* Vide Covart ad d. c. *Cum in officiis.* Boët. *Eponé De jure prouyent. Ecclesiast. ad c. 1. n. 84. & seq. Ed. f. Re-*

1. Relatum num. 42 Lessius 2. De lute & Iust. c.

19. Dubitat, 4. à n. 42.

Plane licet in c. 1. b. t. prohibetur Episcopo testari de rebus intuitu Ecclesiae quæ sitis; & Paulus III. Praelatos ad eum fecerit inhabiles, ut se locis quidem piis ultra decimam partem uligini quo cumque titulo velit, omnesque testandi contrarias concessione eo reducat, ut refert Pet. Math. in VII. Decretal. lib. 2 tit. 14 c. 1. tameo & S. Willibrordum, à quo initia nostræ fiduciæ hæc regio suscepit, testamentum sine ullius Pontificia facultatis mentione condidisse, & se nullius Episc. testamentum eo nomine, quod non habuerit facultatem testandi à summo Pont. in Belgio irritatum scire testatur Zypinus de lute Pont. nov. b. t. n. 2. Vide Boct. Epon. add. c. I. n. 104 & seqq.

### §. VI.

Qui testes in testamento adhiberi possint.

1. Prohibetur mulier testis esse in testamento.
2. Non in coaticillis, remissive.
3. In testamento patris inter liberos.
4. In testamento tamen ad piam causam recte adhibetur.
5. Prohibetur & impubes, & servus, &c. item iherares. (res.)
6. Non verò legatarii & fideicommissarii singulare.
7. Denique prohibentur, quos leges interstabilis esse jubent.

**T**ESTES similiter in testamento adhiberi possunt, qui non prohibentur. Prohibetur autem in primis mulier, quæ quidem in iudicio dicere testimonium potest, non in testamento. I. Quis. testamento 20. §. 6. D. Quis. fac. poss. & dixi sup. ad Tit. de testib. §. 1. n. 23. non solum ob iudicium infirmitatem; secundum & a iudicio repellenda esset; sed quia ius publici, a quo testamenti factio est, communione non habet. Praterea testamento omnium calatis comitiis fieri solebant, in quibus mulieres ius suffragii non habebant. Tum etiam propter frides, quæ facilius in testamentis, quam in iudicis, etiam criminalibus, committivissent. Unde verius videtur, Jure Canonicó mulierem ne quidem in testamento; ad causas profanaas condito, recte adhibeti testem.

Jul. Clarus §. Testamentum qu. 55. n. 3.

2. An autem in codicilis testis esse possit dubitatum quoque fuit; verum supra ad d. Tit. de testibus d. §. 2 num. 22, respondi, id verius videri, ex quo non reperiatur prohibitum, secundum Gloss. in l. fin. in V. cuique Cod. de codicille.

3. Docui ibidem, etiam in testamento patris inter liberos admitti testimonium mulieris, Glos. in l. Hac consultissima ex imperfecto Cod. De testamento: ut & in testamento nullis in acie testantis; quia in his remissa est solemnitas juris civilis, spectaturque solum jus gentium.

4. Sed quid de testamento ad pias causas? Communis opinio mulierem hic quoque admettere videtur, quia & in eo jus gentium spectetur, c. Cum esses &c. Relatum 11. hoc tit. Contrarium urgat, quodd in d. c. Relatum exigantur duo legitimis testes, qualis non est mulier in testamento. Secundò, quod licet in d. c. Relatum derogetur solemnitati juris, quo ad numerum testium, non tamen reperiatur ius civile correctum, quod habilitatem, ac proinde servandum sit, l. Sanctissimus Cod. de appetat. Tertiò, quod mulier non possit esse testis in testamento, ob sexus fragilitatem; quæ ratio hic æquæ militat, atque in quovis alio testamento. Quartò, quod si in testamento, in quo septem requiriuntur testes, non possit cum aliis adhiberi (quo tamen casu pumerus aliorum facile suppleretur ejus fragilitatem, l. 8. quæ ex argentariis §. 1. D. de edendo:) multò minus in hoc testamento, in quo minor numerus requiritur.

Nec est par ratio testamenti patris inter liberos: quia ibi causa incestuari sovet causam testati, D. D. in d. §. ex imperfecto, Facit sextus in l. 1. Cod. de his qui libi abscribunt in testam. in verbis, Si cum testimonium scriptum non esset iustus successor futurus esset.

6. Nec verum videtur in testamento ad piam causam solum attendi jus gentium, cum ultra numerum duorum testium requiratur etiam præsencia Parochi, quam non exigit jus gentium.

7. Secundo, prohibentur, impubes, servus furiosus, mutus, surdus, prodigus, cui bonis interdictum est; item haeres scriptus, & qui eidem vel testatori ratione patriæ potestatis conjunctus est, §. in testibus 9. & §. seq. In fit.

## §. 1. De testam. ord.

6. Jure tamen speciali non denegatur testimonium legatario & fideicommissario singulari, eorumque filii puberibus, & aliis, in potestate existentibus, §. Legatarius autem in his eod. quia cum plerumque testibus aliquid relinquerur, ut fideliores existant & remunerandi causa, non debet destrui testamentum eo, quod ad confirmationem illius factum est. Neque hinc sequitur, eos esse testes in propria causa, saltem principaliter, & non nisi ex consequenti & secundariò: de quo sup. Tit de testib. §. 2. n. 6.

7. Tertiò, prohibentur esse testes, quos improbos intestabile que vocant, id est quibus leges denegant testamenti factiem, aur testimonii dictioñ. l. In cuius ult. D. Qui test fac poss. Cuiusmodi sunt dannati ob crimen famosum.

Denique notandum hic est, Editio Principum nostrorum anno 1611. art. 19. cautum esse, ne probations per testes fiant, tanquam in contrahibus, excedentibus summam trecentorum florinorum, sed & in testamentis, quasi plus dicatum quam scriptum appareat. Insuper art. 12. requiri, ut non solum scribantur testamenta, sed & subscribantur a testatore & duobus testibus, ad hoc vocatis, si scribere noverint: cujus etiam mentio instrumento inserenda sit à tabellionibus & pastoribus.

## §. VII.

## De executoribus ultimarum voluntatum.

1. Executores alii legitimi, alii testamentarii, alii dativi.
2. Intra quod tempore execuſio fieri debeat.
3. Nullo axiſtente execuſore cogi potest haeres solva-re legata.
4. Episcopi omnium pia rum dispositionum sunt executores.

1. **E**xpliſatio jure testandi, ſive diſponendi in ultima voluntate ſuperest jus testamenta exequendi ſive mandandi executioni ſupremæ voluntatis elegia judiciale defunctorum. Igitur executores testamentorum, ſive hæredes ipsi & Si hæredes 7. hoc tit. ſive alii, c. Tua nobis 1. eod. ſive per testatorem dati (quos testamentarios non male appellaveris, ) ſive

à Jure conſtituti, l. Nulli C. de Episcopis & Clericis (quos legitimos appellare licet) five per ju-dicem aut magistratum, quos dativos DD. vo-cant, l. Solent iudicēs §. 1. D. de alimēt. & cib. leg. licet ab initio & re adhuc integra liberum eis sit ſuſcipere officium, tamen eo ſemel ſucep-to cogi poſſant, vel ab Episcopo ſue diocesis, ejusve Vicario, vel etiam à Principe ſeculari, ex eo qui ultimam voluntatem defuncti, e. pen. h. t. junda Novell. 131. de Ecclesiast. tunc cap. 10. & l. Hæredes 50. D. de hæred. petis.

2. Idq; intra tē: us à testatore defiuitum: quod currit non à die facti testamenti vel mortis testatoris, ſed à die aditæ hæreditatis, l. Statut. libri 3. §. ſiguſ 11. D. de statu liberia.

Alioquin nullo tempore à testatore ad exequendum testamentum definito, datur Jure Ponificio anni ſpatium, eoque elapso, ſi executores vota defuncti non adimplerint, ſed executionem protracterint, jus exequendi devolvitur ad Episcopum, c. Nos quidem 3. b. t. niſi quod ad pia legata dentur lex menses, ſecondum Panormit addit. Nos quidem.

3. Quod si nullus etiam testamento executor nominatus sit, potest ipse hæres cogi ab Episcopo censuram Ecclesiasticam, ut explicat defuncti voluntatem, & legata ſolvat: & mihi exequatur, potest ei interdicti administratio bonorum defuncti; imò & priuati omni commendo, quod ex testamento fuerit consecutus, d. t. Si hæredes 6. b. t. Aut. Hoc amplius Cod. de fiduci commiffis, deſumpta ex Novell. 1. c. 1.

4. Dixi cogendos executores, vel hæredes defuncti, ſi executor nominatus non sit, ab Episcopo, ejusve Vicario, vel Principe; nam Episcopū esse executorem ultimarum voluntatum, patet ex d. t. Nos quidem c. Si hæredes c. Tua nobis b. t, ac ſtatuit novifimè Conc. Trid. Seſſ. 22. cap. 8. de reformat. ut Episcopi, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, in caſibus à Jure conceſſis, omnium pia rum diſpositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, ſint executores. De principe vero ſeculari, etiam in piis caſiis, conſtar ex d. Novell. 131. de Ecc. titulu c. 10 & II. & d. l. Hæreditas D. de hæred. petis. Ita ut hanc tem apparet eſſe mixti fori, ſitque præventioni locus, Sanchez de matr. lib. 1. Diff. 2. 50. A. 1. nihilque novi quoad hujusmodi pia diſpo-nitiones Conc. Trid. ſtatuisse videatur.

TITU-